

nasiis, dit-il, quæ jam Dei gratia in omnibus civitatibus Græciæ mediocriter florent, juvenes qui ex scholiis trivialibus altioribus studiis se applicare cupiunt, primum è Lascaris Grammatica octo partes orationis trimestri spatio, memoriæ mandare coguntur. Commune enim apud illos sequens est distichon: Οἰκοδομεῖν χωρὶς θεμέθλου, πόνος ἐστὶ μάταιος· νόσφι δὲ γραμματικῆς ἀνεμώλων ἐστὶ μαθησαί. Interea tamen temporis dum illas memoriter addiscunt, sententiæ à Chrysolora collectæis explicantur. Postquam jam octo partes orationis, quas in technologia quotidie repetere debent, firmiter memoriæ inhæserint, Isocratis tres priores orationes iis explicantur ubi simul etiam syntaxin tractant, atque phrasium et sententiarum collectaneum faciunt. Ex hisce ad Homeri Batrachomyomachiam Fabellasque Æsopi, ob moralitatis elegantiam et Cebetis tabulam transeunt. Hisce finitis, Isocratis panegyricum, Basilii Magni ad juvenes, et duas Gregorii Nazianzeni contra Julianum assumunt. Interim hisce Praxin etiam Rhetoricam ex Aphthonii progymnastibus, in quibus tota quasi Rhetorica enucleatur, adjungunt, partesque supra dictarum orationum demonstrant et secundum illas imitationes conscribere solent. Post hæc epistolas Synesii, Basilii Magni, Gregorii Nazianzeni, Phalaris aliorumque clarorum virorum assumunt, in quibus non tam explicandis, quam imitandis laborant. Hujusmodi igitur exercitiis diligenter peractis, ad Aristophanem, Euripidem, Sophoclem, Pindarum, Theocritum, aliosque hujus commatis poetas adscendunt, quibus ad illorum versus scandendos atque imitandos Enchiridion Hephæstionis adjungunt. Horum poetarum una alterave comœdia aut Trægœdia peracta, Homeri Iliadem in se suscipiunt, illamque fere totam diligenter absolvunt, et quod magis mirandum